





Ministerio de Cultura




SYNODVS
DIOECESANA
MAIORICENSIS.

Celebrata, Præside Illuſtrissimo, ac Reuerendissimo Dño D. F. Simone Bauça, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopo Maioriceñ. Anno 1619.



Maioricis, Typis Rodriguez, & Piza. 1620.

СУДОВЫЕ
ДЕЯТЕЛЬНОСТИ
СОСТОЯЛИСЬ
ПОСЛЕ ПРИЧАСТИЯ
СВЯТЫХ АПОСТОЛ
ПИТЕРА И ПАВЛА



INDICTIO DIOECESANAE
Synodi celebrandę die 14. Mensis
Julii presentis Anni
M.DC.XIX.

VIVUM PRIMVM
ad Episcopale digni-
tatem, nō pro nostris
meritis, sed Dei gra-
tia fuimus electi, ac Pastorale
officium nostris humeris impar-
suscepimus, Sacrorum Canonū,
ac Trid. Conc. decretis obtem-
perantes, Synodum statim indi-
cere, cōuocare, atque celebrare
nobis visum fuit. In qua ea om-
nia, quę ad Diuini cultus incre-
mentū, populi ædificationem,
morumq; reformationem tunc
expedire videbantur, quanta po-

A 2

tuimus

INDICTIO

tuimus cura, & solicitudine, ha-
bito cum omnibus maturo con-
filio, communibus votis perfe-
cimus, variaq; statuta, & decre-
ta circa ea stabiliuimus. Post-
modum verò eisdē decretis in-
herētes, vt commodius, ac præ-
stantius nostro officio fungere-
mur, singulas nostri Diœcesis
Ecclesias iterū atq; iterū visita-
uimus: ambas Insulas nō sine ma-
gno vitæ discrimine perlustra-
uimus; gregis nostri vultū agno-
uimus, eūq; cōfilio, admonitio-
nibus, doctrina, ac prædicatio-
ne, quantū in nobis fuit, in dīo
pauimus: nihil pretermisimus,
quod ad eius spiritualem salutē
conducere videremus. Ad hæc
ferè

ferè singulis annis, vel quoties se se obtulit occasio alicuius negotii pertractandi, in quo aliorum consilia desiderari videantur, non dubitauimus, neque erubuimus probatissimos quoque ac sapientissimos viros cōuocare, causas proponere, cum ipsis agere, eosque de rebus omnibus ad Ecclesiæ bonum spectantibus consulere. Attamen si hoc vniquā aliqua ratione expedire videbatur, hoc potissimum tēpore utile, ac necessariū iudicamus, cū res difficillimæ, gravissimaque negotia ad Ecclesiæ nostræ statū pertinētia pertractanda se offerant. Iccirco Nos
Don Fr. Simō Bauça, Dei, & A-

INDICTIO

postolicæ Sedis gratia Episco-
pus Maioricen. & de Consilio
Iuæ Regie Majestatis; vos Illu-
stres ac multū Reuerendos Do-
minos inferiores Prælatos, Dig-
nitates obtinentes, Canonicos,
& Capitulū, Præpositos, & ve-
nerabiles Ecclesiarū Rectores,
Priores, Vicarios, aliosq; Pref-
byteros curam animarum exer-
centes, ac Illustres & multum
Magnificos Iuratos Recipubli-
cæ Patres, cæterasque seculares
personas, quibus dictæ Synodi
cōueniat interesse, hortamur, &
monemus, vobisque in virtute
sanctæ obedientiæ, & sub pœnisi-
a Iure sanctis districtè præcipié-
do mandamus, vt postquam has

oficio

nostras

Nostras litteras perceperitis,
 vos ipsi personaliter, seu procu-
 ratores vestri; si vos, vel infirmi-
 tas, vel aliud quoduis legitti-
 mum impedimentum detineat,
 ad nostram Cathedralem Ec-
 clesiā dominica sequēti que erit
 decima quarta Mēsis Iulii pro-
 xime vēturi, accedatis: vt Deo
 auspice, & eiudem petito iuuua-
 mine, maturius pertractemus
 quæcūq; peragenda fuerint quæ
 ipsi Synodo referuantur, & po-
 tissimum de causis ad Ecclesiā
 spectātibus, de diuini cultus in-
 cremento, & excessibus propul-
 sandis, & exterminandis abusi-
 bus, si qui fuerint, dando, & con-
 cedēdo cuilibet, vt pro sua spō-

INDICTIO

te proponat, & proponere pos-
sit quicquid sibi beneuolum fue-
rit aut statuendum aut oppor-
tuno remedio curadum aut de-
mum è medio radicituse uellen-
dum alioquin vestra quorum cū-
que non obstante absentia acu-
fata nihilominus cōtumatia, ad
celebrationem prædictæ Syno-
di, vt iuris fuerit, procedemus.
Datum Maioricis in Episcopa-
li Palatio, die xv. Mensis Iunij.
Anno à Natiuitate Domini
M.DC.XVIII.

Fr. Simon Epif. Maior.

¶ *Fuit publicata præsens Synodi con-
uocatio*

uocatio in Ecclesia Sedis, die Dominica
computata 16. Mensis Iunij. Anno pre-
dicto 1619. Per unum ex quatuor sub-
dominadarijs Ecclesiae Sedis, & varia
transumpta transmissa fuerunt ad par-
tes forense ut in illis respectiue publicen-
sur nec per eos ignorantia allegari possit.

Die xiiij. Mensis Iuli. Anno à Natiui-
tate Domini. M.DC.XVIII.

Die isti die, & anno congregatis
Illustrissimo, & Reuerendissi-
mo Domino Don Fratre Simo-
ne Bauça, Dei, & Apostolicæ
Sedis gratia Episcopo Maio-
ricensi de Consilio suz Regiç
Maiestatis, & Illustribus, &
admodum Reuerédis Dominis
Canonicis Rectoribus, & Cō-
municibus præsétis dioecesis Ma-
ioric. in Ecclesia Cathedrali, in

A s

qua

INDICTIO
qua dicta sua Illustrissima, &
Reuerendissima dominatio eos
conuocari iussit, & celebrata
Missa, factaque Generali abso-
lutione, fuit processum ad dictæ
Synodi celebrationem in forma
sequentia.

PROFESSIONE FIDEI.

N NOMINE Sæctæ,
& Individuæ Trinita-
tis, Patris, Filii, & Spi-
ritus Sæcti. Nos Dó Fr.
Simō Bauçā Episcopus Maio-
ricēsis, Diœcesanæ Synodo pre-
sidens, quam sub Sæctiss. & Bea-
tissimo Domino nostro Paulo
Papa Quinto, eius Pontificatus

anno

anno quintodecimo; Regnante
in uitissimo, ac Catholico Re-
ge Philippo Maximo, Pacifico,
Fidei propugnatore, huius no-
minis tertio; eius Regni anno
vigesimo secundo: cōsiderantes
Fidē fundamētū esse omniū Bo-
norum operum, sine qua totum
aedificiū spirituale corruere ne-
cesseret, exēplo etiam Patrum,
qui in principio suarum actionū
Sacrosanctam Fidem profiteri
confueuerunt, Fidei professio-
nem ante quam de re aliqua ser-
mo à nobis suscipiatur præmis-
tendam esse decernimus, atque
præmittimus; ea forma, ac ver-
bis, quibus in literis Sanctissimi
Domini Nostri Pii Quarti pre-
scri-

PROFESSIONE.

scripta fuit, sic ipsam igitur, hæc nostra Synodus Fidé ipsam toto animo, ex intimis cordis sui visceribus profitetur.

CREDO in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo; lumen de lumine; Deum verum, de Deo vero, genitum non factū consubstantialem Patri, per quē omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostrā salutem descendit de cœlis; & incarnatus est de Spiritu Sancto,

FIDEI.

Exo, ex Maria Virgine; ET HOMO FACTVS EST. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato; passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die, secundum scripturas; & ascendit in celum; sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria, iudicare viuos, & mortuos; cuius Regni non erit finis; & in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem; qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas: & unam, Sanctam, Catholicae, & Apostolicam Ecclesiam. Cofiteor unum Baptisma,
in re-

PROFESSION.

in remissionem peccatorum. Et
exspecto resurrectionē mortuo-
rum; & vitam venturi sæculi,
Amen. Apostolicas, & Eccle-
siasticas traditiones: reliquafq;
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ob-
seruationes, & Constitutiones
firmissimè admittit, & ample-
ctitur.

ITEM, Sacram Scripturam
juxta eum sensum, quem te-
nuit, & tenet Sancta Mater
Ecclesia; cuius est judicare de
vero sensu, & interpretatione
Sacrarum scripturarū, admittit:
Nec eam unquam, nisi juxta
vñanimem consensum Patrum
accipiet, & interpretabitur. Pro-
fitetur.

fitetur quoquè, septé esse verè,
& propriè Sacrumáta nouæ le-
gis, a iesu Christo Domino No-
stro instituta: atquè ad salutem
humani generis (licet non om-
nia singulis necessaria) scilicet
Baptismum, Confirmationem,
Eucharistiam, Pœnitétiam, Ex-
tremam vunctionem, Ordinem,
& Matrimoniu : Illaque gratiā
conferre, & ex his Baptismum,
Confirmationem, & Ordinem,
fine sacrilegio reiterari nō pos-
se.

RECEPTOS quoquè, &
approbatos Ecclesiæ ca-
tholicæ ritus, in supradic-
torum omnium sacramentorū
folēni administratione recipit,
& ad-

PROFESSIONE
& admittit. Omnia, & singula,
quæ de peccato Originali, & de
Iustificatione, in Sacrofæcta
Synodo Tridentina, definita, &
declarata fuerunt, amplectitur,
& recipit.

Profitetur pariter in Missa of-
ferri Deo, verum, proprium, &
propitiatorium Sacrificiū, pro
viuis, & defunctis: atque in Sá-
etissimo Eucharistię Sacramé-
to esse vere, realiter, & substan-
tialiter, corpus, & sanguinem,
vnā cum anima, & Diuinitate
Domini Nostri Iesu Christi fie-
riq; cōuerzionē totius substatiæ
panis in corpus; & totius substâ-
tiæ vini in sanguinem. **Quam**
conuerzionem, catholica Eccle-

fia

bs 30

fia Trāsubstātiationē appellat.

**Fatetur etiā, sub altera tantum
specie, totū, atq; integrū Chri-
stū, verūq; Sacramentum sumi.**

**Constanter tenet Purgatoriū
esse; animasque ibi detentas, fi-
delium suffragiis iuuari.**

**Similiter & Sanctos, vnā cum
Christo regnantes, venerandos
atq; inuocandos esse; eosq; , ora-
tiones Deo pro nobis offerre:
atque eorum reliquias esse ve-
nerandas.**

**Firmiter afferit imagines Chri-
sti, & Deiparæ semper Virginis,
necnon aliorum Sanctorum, ha-
bendas, & retinendas esse; atque
eis debitum honorem, ac vene-
rationem impertiendam.**

PROFESSION

Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo, in Ecclesia relictam fuisse; illarumq; usum, Christiano populo maximè salutarem esse affirmat.

Sanctam, Catholicam, & Apostolicam, Romanā Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistrum, agnoscit. Romanōq; Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis, successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondet, ac jurat.

Cetera item omnia à Sacris canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue, à Sacrofaneo Concilio Tridentino tradita, definita, & declarata, indubitate recipit, atque profitetur. Si-

Jubat

Q

mulque

mulque, contraria omnia, atque
hæreses quascunq;, ab Ecclesia
damnatas, rejectas, & anathema-
tizatas, hæc Synodus pariter
dānat, rejicit, & anathematizat.
Hanc verō catholicam fidem,
extra quam nemo saluus esse po-
test; quam in præsenti sponte
profitetur, & veraciter tenet;
eamdem integrum, & inuiolatā
vsque ad extremum vite spiritū,
constantissimè, Deo adju-
uante, retinere, & confiteri, atq;
à suis subditis, seu ab illis, quo-
rum cura ad ipsam speabit, te-
neri, doceri, & prædicari
quantum in ipsa erit
curabit.

DECRET'A

Et adueniente die quinta prædictorum
mensis, & anni, congregatis dicta sua
Reuerendissima Dominatione, Canoni-
cis, Rectoribus, & Communibus supradic-
tis in Capitulo prædictæ Ecclesiæ Sedis,
fuit processum in forma sequenti.

DE SIGNO CRVCIS in Templorum solo, & in locis indecentibus non sculpendo vel imprimendo.

CAP. I.

GRAVE flagitium est, hono-
rificum illud Sanctæ Crucis
signum, gloriosum humanæ
redemptionis vexillū, dæmo-
nibus tremendum, latria adorandum,
quo Pontificum, Regumq; diademata
decorantur, in solo templorum super
lapides, vel marmora insculptum deam-
bulantium pedibus ita turpiter atteri.
Præcipimus igitur, vt nemo deinceps
audeat in lapideis vel marmoreis tem-
plorum,

plorium pavimentis , vel sepulcrorum operculis Sanctæ Crucis signum , vel Sanctorum imagines sculpere, seu quouis modo effingere : & si que sunt insculpta, vel depicta ; infra bimestre illi- cò deleantur. Eodem mandato astingimus eos, qui in locis immundis , aut in sterquilinis , ad reprimendam mingen- tium temeritatem , id ipsum efficient. Prohibemus etiam, ne in pecorum , iumentorum, seu quorumcumque anima- lium charactere , idem Crucis signum imprimatur: quod inde animalia humili iacentia atterunt , & cum fuerint pelles detractæ , saepè hominum pedibus con- culcari contingit. Contra facientes ex- communicentur.

QVI BVS VESTIBVS
vti debeant Clerici non con-
iugati, etiam vidui.

Cap. li.

CVM omnes ad Clericalem digni-
tatem electi, debeant singulari ali-

DECRETA

Mar. 22. qua nota à reliquis distingui, ne illud
audiant: *Quomodo hoc intrasti non habens
vestem nupialem?* Cumque nullus sit
præscriptus cerius habitus his, qui pri-
mam tonsuram suscepere à sacris Ca-
nonibus, & Tridentino Concilio; etsi
pœna est constituta illis, qui tonsuram
penitus, & clericalem habitum depo-
suerint; ut nullo priuilegio, vel Eccle-
siastica immunitate gaudeant, quamplu-
rimæ sunt obortæ difficultates, & plu-
res declarationes subsecutæ. Quapro-
pter, cupientes certam legem definire, ut
nullus in posterum possit esse dubita-
tioni, & controversiis locus (quod
quidem iam diu habebamus in votis)
imperamus (subscribente Synodo) o-
mnibus, & singulis tonsura initiatis,
non coniugatis, etiam viduis, ut intra
mensa tres, longis induantur vestibus,
vulgo: *Fins a mitja cama,* nigri coloris,
aperta tonsura, planis etiam collaribus,
ut Sacerdotes, vtantur, & sine ense. Quo
tempore transacto, si qui hoc imperium
recusantes, latam legem violauerint,
ipso

ipso facto omnibus priuilegiis, & immunitatibus Ecclesiasticis penitus destitutos, forique priuilegio minimè gaudere, iuxta Tridentini Concilii statuta, denunciamus.

Concil.
Tri. ses.
23. cap. 5.

QVO VESTITV DE- beant coniugati Clerici incedere.

CAP. III.

SED quia coniugatis Clericis sua etiam immunitas data est, ut omnia in posterum iurgia, & contentiones præscindantur, suam item legem ferendam, de cultus exterioris ratione censemus. Quapropter volumus, & præcipimus (annuente Synodo) ut coniugati omnes tonsura insigniti vestibus induantur nigris, toga scilicet ad genua demissa, pallio verò longiori; tonsurā etiā deferāt. Attamen si aliquando contingat, ut vel ad publica

DECRETA

specacula militaria, vel ad nobilium
nuptias celebrandas inuitentur, decla-
ramus posse in dictis ludis, & nuptiis,
nuditibus, ac perlucidis vestibus incedere
cultiores. Si etiam vidui, & alii non cō-
iugati ad easdem celebritates vocentur,
idem de ipsis atque de coniugatis esto
iudicium: ita tamen ut quoties id acci-
derit, prius per nos, aut nostrum Ge-
neralem Vicarium, non verbo solum,
sed scripto, eis licuerit. Dicti vero Cle-
rici, tam coniugati, quam non coniugati,
compareant intra dictos tres men-
ses cum exhibitione sui Tituli, & Mini-
sterii, ut super eis debitè prouideri pos-
sit: alias ipso iure, post elapsum dictum
terminū qui non comparuerint, suo mi-
nisterio suspensi censeantur.

QVO VESTITV IN-
cedere debeant Sacris iniciati.
Cap. III.

VT Clericorum modestia, morum,
gue honesta integritas, exteriori
etiam

Etiam cultu ostendatur, statuimus, ne quisquam eorum, qui vibes, vel pagos incolunt, vestes ordine, & statu indignas deferat; nec unquam laicales inducat. Si tamen interficiat, vestibus paucis brevioribus, nigri pariter vel honesti coloris uti licebit: secus, & vestes amittet, & pecuniaria pena interrogata quinque libras numerabit. Eadem poenae subiacebunt Clerici etiam simplices tonsurati, qui caligas in honesto colore tintas induent; etiam si argenteæ sint. Sunt autem honesti coloris quas vulgo pardas, vel moradas dicimus.

DE SACRO RITE faciendo. 19)

CAP. V.

VVM NEMINEM LATE-
re possit, quanta cura, & so-
licitudine, quanto religionis
suplenti cultu, aci veneratione Multum
Sacramentum sit celebrandum, cum ma-

odo

B 5

Jedi-

DECRETA

Iedictus iure in sacra pagina vocetur,
qui opus Dei negligenter facit, & nihili
lominus in nonnullis exterior ad pietas:
tem compositus cultus, & pietatis spe-
cies desiderari videantur; ideo ne debi-
tus tam sacrę rei cultus desit, ad Dei glo-
riam, & populi ædificationem (appro-
bante Synodo) iubemus, ut omnes Sa-
cerdotes intra sex menses, ante nostros
Examinatores compareant; ut de ipsis
iuxta Romanae Ecclesiae ritus, ac statuta
periculum fiat. Quod si non accesserint,
Sacrorum operatione priuatos iudica-
mus.

IN SACRO FACIENDO seruetur ordo.

CAP. VI.

SACERDOTES non simul
Rem diuinam faciant; sed unus
post alium, iuxta vniuersique
anciuitatem, & ordinem à Paro-

cho præscriptum: quem subinde mutandum censemus, ne aliqua iurgia, & dissidia inter ipsos prius, posteriusque facturos suboriantur. Quod non solum in festis, sed etiam aliis diebus obseruandum præcipimus. In festis vero, nullus sacris operetur, dum solemniter, maximum quod vocant sacrum, celebratur. Contumax nullam prorsus pro Sacro, & Officio eleemosynam accipiet.

CLERICI CANENDI artem rectè calleant.

CAP. VII.

IVBEBAT regius vates, ut canendi arte instructi accederent, qui Deo Regi totius Mundi maximo psallem sapienter. Desiderantes igitur ut tanti Domini decora sit laudatio, precepimus, ut caput nostræ præteritæ Synodi, de harmoniaco cantu integerrime obseruetur: & nullus in posterum ad Ecclesię

Psal. 46.

Psa. 146.

DECRETA.

eleſiæ distributiones admittatur, qui hū
iufce artis peritiā non ostenderit, & de
admissis omnibus fiat periculum. Si qui
verò sex mensium ſpatio examen ſubire
recuſauerit, omni distributionum emo-
lumento priuentur: nec eos admittendi
vlla ſit penes Parochos poieſtas.

CLERICI A FACTIO- FORUM SOCIETATE ABHORREANT.

CAP. VIII.

FLAGITIOSORVM, ac publi-
cè probroſorū hominū ſocietas
ab omnibus præſertim verò cle-
ricis fugienda. Quare statuimus
(annuente Synodo) vt clericorū nullus
audeat factiosos homines, quibus pro-
pter insignia ſcelera aqua, & igni inter-
dictum eſt, vel eos quibus factiosos ca-
piendi eſt cura commiſſa, vel alios hu-
iufcemodi homines comitari, cū eis age-
re, cibumq; aut tectum cum iſpis habere
comune. Qui hec noſtra manda negle-
xerint,

xerint; quinquaginta aureis soluēdis, &
trienni exilio ab hoc Regno punientur.
His verò qui nō erunt soluendo, exiliū
ad quadriennium augebitur. Quicunq;
ipsi auxilio, & consilio fuerint, vel ar-
ma subministrauerint, eodē suplitii ge-
nere mulctentur. Quæ omnes prædictæ
pœnæ arbitrio nostro augebuntur, vel
minuantur.

SACRIS INITIATIS fœminarum deductio, & mensæ subministratio interdicitur.

CAP. IX.

Hortamur omnes in Ecclesiastica dignitate constitutos, præfer-
tim Presbyteros, ne laicorum seruituti se mancipent. Quod si
tanta sit rei familiaris inopia, vt vix, aut
de vix quidē se sustinere aliter possint,
præcipimus, vt nullus eorum, vel fœmi-
nas deducat, & comitetur, vel mensæ mi-
nistret, vel alia etiā humiliora obeat mi-
niste-

DECRETA

nisteria tantæ incongrua dignitati: quinque argéteorum pœna transgressoribus constituta. Monemus etiam laicos, ut sic cum Ecclesiasticis se gerant, ut Clericorum status, & dignitas postulant.

L V D I C L E R I C I S prohibiti.

C A P. X.

TO T de aleis, lusibus, & secularibus negotiis fugiendis tanquam à Clericali statu prorsus alienis, à Summis Pontificibus, & Sacris Conciliis piè, ac salubriter sunt decreta constituta, vt nulla alia denuò statuenda desiderari videantur, nisi Tridentinum Concilium eisdem, & grauioribus si opus esset iniungendis pœnis nobis imperasset. Ideò ad delenda, & funditus euellenda incommoda, & scâdala, quæ ex ludo tanquam ex perenni fonte nascuntur, non finè magno Ecclisia-

clericalicæ dignitatis dedecore, & mul-
torum offensione, decretum in altera
Synodo à nobis factum confirmamus.
Sciamus præterea (de assensu Synodi)
ut nullus sacris initiatus, vel quiuis alius
beneficium obtainens tesseris quibusli-
bet, vel quoquis modo, etiam aliis luden-
tibus sponsione facta, vel aucta, lusoriis
foliis ludat, vulgo *daus*, o *joch de pa-*
rada ab cartes. Contumacibus maio-
ris excommunicationis latè sententiaz
pœnam pronunciamus. Quos etiam
omnes quoquis ludo in vicis, plateis, vel
viis publicis, pœna quipque aurorum
statuta, prohibemus.

C L E R I C I S F O E M I - narum consuetudo fu- gienda.

C A P . XI.

S I villa res est, cui maxima cura, & so-
licitudine sint Clerici inuigilaturi, illa
potis-

DECRETA

potissimum, ut mulierum colloquia, & consuetudinem sanctorū exemplo auer- senur: Cum experimento comprobe- mus grauissimorum delictorū causam semper in fēminarum consuetudine cō- stuisse. Quarē quantum possumus in do- mino hortamur, vt eas, quoad fieri pos- sit, oculis fugiant, auribus respuant, ani- mo aspernentur: ne suæ dignitatis, no- minis, & animæ breui iacturam faciant. Præcipimus autem Sacris iniciatis, vel beneficium obtinentibus, ne de cætero audeant in Deodicatis templis, vel alio- bi, cum mercriculis, vel cum aliis mu- lieribus clam vel palam colloqui, quæ malè audiāt, & turpitudinis notā patian- tur. Transgressoribus quinque librarum mulcta irrogabitur. Que pena, est sēper arbitrio nostro magis magisq; augenda.

SACRIS INITIATI LAI-
CORŪ procurationes nō suscipiāt.

Cap. XII.

Nihil tam alienum ab his, qui di-
uinæ militiæ nomē dederunt, quā
se se-

se secularibus negotiis implicare; quibus
addicti nequeunt Diuinis, ac spiritua-
libus vacare: quod quidem est laicis
offensioni maximæ; cum videant secu-
larium Iudicum Tribunalia à Clericis
procuratorum nomine frequētari. Qua-
propter statutum volumus (annuente
Synodo) vt eorum nullus, laicorum
procurationes admittat; nec hoc nomi-
ne prædicta adeat Tribunalia; nisi illæ
res vrgeant, quæ Ius, & Sacri Canones
præteribunt. Quod qui spreuerint, quin-
que libras perfoluent.

SACRIS INTERDICTI
à Porochis singulis Dominicis
publicè nominentur.

CAP. XIII.

VONIAM ea est aliquorum
natura, & prava indoles, vt
nisi pudor cogat, & ignomi-
nia, confirmata iam malo-
rum consuetudine, ad meliorem vitæ fru-
gem nunquam reuocentur. Mandamus
C proptere à

DECRET'A

propterea (de assensu Synodi) sub ex-
communicationis poena, vt semel ex-
communicati singulis dominicis à Pa-
rochis vel eorum Vicariis in Ecclesia,
nullo alio à nobis expectato decreto
publicè nominentur. Ut vel sic eorum
Psal. 82. facies ignominia impleantur, & nomen
Domini quærentes, à peccatorum ve-
cordia, & contumacia deterreantur.

DE FREQUENTI Missarum celebratione.

CAP. XIII.

CVM Sacerdotes à Deo in ter-
ris constituti sint, vt pro pec-
catis populi dona, & Sacrificia
offerant altissimo, Sacri Tridè-
tini vestigia sectantes, omnes Sacerdo-
tes cuiusvis gradus, conditionis, & di-
gnitatis existant hortamur, vt domini-
cis salté, festisque diebus, nisi legitimo
impedimento præpediantur, rem diuinā
faciant.

faciant. Reliqui verò Clerici tam qui in minoribus sunt, quam qui in Sacris, semel saltem singulis mensibus Eucharistiam sumant: quod si quis absque legitima causa id facere contempserit, à curatis admonеatur, & si noluerit obedire, ad nos deferatur.

DE CONVIVIIS, ET aliis Clericis interdictis euitandis.

CAP. XV.

LVCERNAE ardentes Clerici, super speculam positi, vt coeteris sint exemplo, caueant nè ebrietatibus, comedationibus, & aliis huius generis rebus vacent, quæ sunt libidinis, & malorum incentiu; sed vt totis vitibus contendant euittare conuiua, & compotationes; nec in honestis societatibus se immisceant; cauponas non nisi itineris necessitate adeat; nec aliis intersint, quæ Clericoru;

DECRET A

statui sunt indecora. Sed ita modestè, & religiosè se gerat, vt aliis sint exemplo, & ædificationi.

DE ARMIS A CLERI- c is non apportandis.

CAP. XVI.

CLERICORVM arma lachry-
mæ sunt, & orationes: ea pro-
pter præsenti cōstitutione mā-
damus omnibus sacris iniciatis,
vel beneficium obtinētibus cuiusvis or-
dinis, & dignitatis existant, ne arma de-
ferant tam defensiua, quam offensiua,
præsertim cum ignis artificio Archibu-
sios (vt ita loquar) ballistas, pugiones,
cæliros magnos, & alia huiusmodi, etiā
extrà ciuitatem iter agendo; sed ensem
tantum, cum per suspecta loca profici sci
contigerit: nec noctu lascivia canendo
in comitatu flagitiosorum hominum,
cum instrumentis musicis, nec sine; nec
ipsimet

ipsimet canant, quę omnia omnino prohibemus. Quod si inuenti, & capti sint contra præsens decretum, ad nos defenantur, & arma capientibus acquirentur, & præterea à librarum quatuor poenam pauperibus erogandam subibunt, præter alias carceris poenas pro facinorum qualitate arbitrio nostro infligendas. Clericis verò omnibus, etiam si simplices sint tōsurati, qui sclopum rotis munatum, (vulgò dictum *Pedreñal*, o *Bufeto*) vel ballistam quatuor palmorum longitudinem non attingentem secum detulerint, vel domi retinuerint, ducendorum aureorum, & exilii poenam in septennium denunciamus, arbitrio nostro augendam, vel minuendam.

DE HORIS CANO-

nicis.

CAP. XVII.

GRAVE admodum est quod dicitur: *Maledictus qui opus Dei facit negligē-*

DECRET A

negligenter. Statuimus ergo , vt clerici omnes, cuiuscunque gradus , & ordinis, qui Diuinum Officium in Ecclesia persoluere tenentur , hora competenti, dato congiuo campanæ signo , superpelliciis, & clericali birreto induti, singulas horas, non cursim , aut festinanter , sed tractim seruatis interuallis , reuerentè recitent , seu canant ; habita dierum festorum , feriarumque ratione: risu , colloquiis , & quibusvis aliis indecentibus actibus, motibusque prorsus abstineant, sedentes, surgentes, stantes , genu fletentes, caput aperientes, seu operientes, æqualiter omnes , pro vt temporis ratio ex instituto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ expostulat. Dum verò preces canonicae in choro cantantur, nullus clericus audeat ibidem aliquid legere , vel officium persoluere : sed vnà cum aliis canens, Deum honorificit. Qui autem in aliquo præmissorum contra fecerit, præter reatus incursum, illius horæ distributione priuetur omnino, quæ aliis presentibus accrescat. Eos verò qui in Ecclesiis

clesiis, horis persoluendis interesse non tenentur, hortiamur, vt officium nocturnum, pariterque diurnum, ad quod ordine, beneficio vè astringuntur, statim etiam horis, non somnolenter, nec truncatis verbis, sed deuotè explere nitatur: ne mentis euagatione fructus orationis intercipiatur.

QVO MODO SIT IN Ecclesia standum.

CAP. XVIII.

DVPLICI poena afficiendi sunt ad Ecclesiam conuenientes, qui non modo ea, qua decet religione, Deum, & Sanctos deuotè non venerantur, sed etiam alios orantes vanis colloquiis impediunt, & diuina officia persoluentes, confabulationibus, risu, & deambulationibus perturbat. Ea propter distictè præcipimus, & mandamus tanquam Sedis Apostolicæ

DECRET'A

delegati iuxta Sacri Concilii Tridentini præscriptum , vt de cætero , dum sacra peraguntur , & diuinæ preces in Ecclesia recitantur , aut diuinum verbum predicatur , nullus tam laicus , quam Clericus , cuiuscunque gradus , & conditionis existat , audeat in Ecclesia deambulare , confabulari , clamare , humeris ad Sanctissimæ Eucharistie altare versis sedere , antè ianuas stare , altaribus , fontibus baptismalibus , & aquæ benedictæ , cubitis inhærere ; cum mulieribus colloquia , aut confabulationes habere , aut quicquam aliud agere , quod populo sit scandalum : sed ea qua decet reuerentia versetur , & oret . Si quis autem in præmissorum aliquo inaduertenter defecerit , Ecclesiæ rectoris iussu fraternè moneatur . Quod si spreta monitione pertinax fuerit , à diuinis cœfsetur , donec resipiscat .

MER.

MERCATVRA, ET
vestigalium conductio Cle-
ricis interdicitur.

CAP. XIX.

MERCATVRAM ab huius se-
culi militibus parū curari vi-
demus: imò nec multum de
victu, & vestitu eos laborare;
horum prouidentiam suis Imperatori-
bus relinquentes. Ità pariter se gerere
oportet Christi militię seruientes: hi
enim toti Sacrificiis, orationibus, tem-
plique ministeriis addicti, à secularibus
negotiis iuxta Apostoli doctrinam ab-
stinere debent. Quod etiam Sacri Cano-
nes Clericis omnibus à questibus, &
quibuscumque negociationibus abstine-
dum, grauissimis poenis imperarunt:
Tum quia valde indecorum est eos lu-
cris captandis incumbere, tum etiam
quia hoc ipsum summopere ipsorum
animos occupat, ab spiritualibus auocat,
variisq; periculis obnoxios reddit. Quo
circa nos eos sacris duntaxat rebus

DECRET A

addictos exoptantes, volumus, & di-
strictè præcipimus (approbatte Syno-
do) vt nulli sacris initiati, vel Ecclesia-
stica beneficia obtinentes, cuiusvis sint
dignitatis, audeant de cætero frumen-
tum, nec vllum granorum genus, vel
leguminum, vindemias, aut vinum eme-
re, vt eadem iterum venalia lucri gratia
proponant, per se, vel per interpositas
personas. Præcipimus etiam, vt nulla
vestigalia conducant, ne decimas qui-
dem; nisi propter eam portionem, quæ
Canonici ex præbendis obtingit, hoc
enim licet: nec aliam quamlibet merca-
turam circa caseos, & alias merces hic-
natas, aut aliundè asportatas, quæstuo-
sam, & turpem, à Sacerdotali dignitate,
& Clericali statu alienam, non solum
per se, sed neque per alios possint exer-
cere: vel collybos, siue cambia quæstus
gratia. Eos qui huic nostro statuto non
obtemperauerint, præter quinquaginta
aureos nūmos, quos soluēt, quotiescūq;
mercaturā aliquā exercuerint, excōmu-
nicationis maxime latę sentētię gladio
percutimus.

QVI-

QVINAM IN QUOTIDIANAS
distributiones censeantur admissi.

CAP. XX.

QVONIAM multa iurgia, & dissensiones inter beneficatos, & alios ad eorum societatem admissos oborta sunt, & quotidie oriuntur; declaramus eos tantum admissorū priuilegio gaudere, qui de nostra authoritate, & beneficia obtinentium consensu sine controversia in admissorum numerum fuerunt relati, vel decem annis antē recepti. Ad hęc statuimus, vt si prædicti, aliquod in aliis Ecclesiis obtineant beneficium, ad eas se statim conferant, illisque inseruant.

ONERA, ET CENSVS
 beneficiorum in libro referātur,
priusquam distributiones
recipiantur.

CAP. XXI.

EXPERIMEETO comprobamus
 beneficiorum onera, & annuos redi-
 ditus

DECRET A

redditus, temporum decursu deperdi, & penitus extingui. Quare ut in re tanti momenti remedium adhibeatur, beneficiorum recetes obtentorum possessores ab omnibus distributionibus prohibemus; insuper, & sub quinque librarum poena, si prius in libro ad id destinato munia, & munera, census, & annuos redditus beneficii scribi non curarint.

NOTENTVR IN TAB-
bella dies, in quibus Beneficiati
celebrare tenentur.

CAP. XXII.

CVM Beneficium sit propter officium, æquum est, & rationi consonum, vt qui Beneficiorum fructibus, & emolumētis fruuntur, illorum munera, & debita persoluant. Quod vt integrè fiat, præcipimus, vt tabella sit in quavis Ecclesia, in qua dies adnotentur, in quibus Beneficia

ficia obtinentes Sacrum pro suorū Beneficiorū onere facere tenentur: vt hisce diebus suo muneri satisfaciant; nullaque communi distributione, ratione Missæ fruantur.

IN VICIS, ET PLATEIS
non est Satrum faciendum.

CAP. XXIII.

VIT debitus Sacris rebus honor,
& reuerentia, Missæ præsertim
sacrificio, exhibeat, necessariū
duximus hoc præsenti decreto
statuere, vt nulli in posterum liceat in
plateis, vel vicis, vrbis, aut oppidi cu-
jusvis, vel in angiportis, aut in portici-
bus (his dumtaxat exceptis, quæ tēplo-
rum parietibus hærent) Sacris operari.
Non tamen completoria, littanias, &
alias huiusmodi preces metrico cantu
celebrandas in his locis prohibemus.

DECRETA
IN SACRAMENTI
Extremę Vnctionis administra-
tione, circunstent omnes
Clerici.

CAP. XXIII.

OVANTVM Valeant ad Deū
preces, eo præsertim tempo-
re, quo facit Oleo vnguntur
infirmi, testatur Apostolus
Iacobus, dum ait: *Infirmatur quis in vo-
bis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orēt
super eum, vngentes Oleo in nomine Do-
mini, & oratio Fidei saluabit infirmum.*
Cum igitur illa hora, tanta sit orationis
necessitas, quoniam humanæ naturæ
infensissimus hostis vehementius om-
nes suæ versutiæ neruos intendit ad per-
turbandos nos penitus, & à fiducia etiā
si possit Diuinæ misericordię deturban-
dos: volumus, vt cum moribundus ali-
quis Sacro perungitur Oleo, circunstet
ægrotum Clerici omnes, quantum cu-
biculi

biculi capacitas patietur, & ibi conce-
ptis precibus apud Diuinum numen fra-
tri periclitanti opitulētur. Eos verō qui
non adfuerint Parocho ministranti, vel
cius Vicario, illa distributione priuamus.
Quod ardenter etiam præstari oportet
ab his, qui Sanctissimum Eucharistiaæ
Sacramentum comitantur. Et ita fieri
eadem constitutæ pœna imperamus.

IN ECCLESIIS, VBI
quatuor resident clerici,
horæ canonice sunt
recitandæ.

CAP. XXV.

CVM in eam curā debeant sem-
per incumbere Clerici, vt nun-
quam debitum suis Ecclesiis
obsequium, & Diuinus cultus
aliquantulum minuantur, imò vt maio-
ribus semper nouę pietatis incrementis
augeantur, decernimus, vt in omnibus
Paræ-

DECRETA

Pareciis, vbi quatuor Beneficiati, vel alii
ad distributiones admissi reperiuntur,
sine Rectore, non in urbibus solum, sed
& in circumforaneis oppidis horæ Ca-
nonicæ cantu recitentur. Quod paro-
chorum curæ sub excommunicationis
pœna committimus. Ceram ex commu-
ni, vnde horarum stipendia, & distribu-
tiones penduntur, eis partibus à quo,
libet sublata portione, pecunia suppe-
ditabit. Nam de Cereis Sacro solenni-
tatu peragendo accendendis, nihil noui
iubemus, sed consuetudini standum: ut
etiam de cereis in illis Ecclesiis, in qui-
bus hore Canonice recitari consueverat.

CLERICI IN NOSTRA
Curia condemnati, ad Regia
Tribunalia nō cōfugiāt.

CAP. XXVI.

RERVM usu didicimus, quantum
iuri Ecclesiastico, utilitati, & ho-
nori

nori derogetur, quando Clerici de aliqua pecunia, vel aliis rebus in nostra curia condemnati ad Regia tribunalia, simulato actorum nomine, nos vel suos creditores prouocant. Quarè, ut tam detestabilis abusus penitus deleatur, omnes Clericos semel à nobis damnatos, ab huiusmodi appellationibus ità prohibemus, ut quoties à nobis rei semel facti, ad Regias curias ficto actorū nomine configere tentarint, toties decem libras persoluant: præter ea quæ iutis legi præscribuntur, & quæ nostro arbitrio assignabuntur.

QVIBVS DIEBVS DE-
beant Parochi pro populo
celebrare.

CAP. XXVII.

Inter multa, ac varia decreta, atque mandata, quæ diuino præcepto dat Trid. Concil. omnibus his, quibus est animarum cura commissa, illud

D

præci-

DECRETA

præcipuum, quo decernit, vt profide-
libus sacrificiū offerant: quod adeò stri-
ctè ad eos pertinet, vt nec suo muneri
satisfaciant, eodem approbante, & iu-
bēte Concilio, nisi missas quam frequē-
ter celebrent. Ideò nos (firma omnium
assensione) præcipimus, vt decretum
in altera nostra Synodo hac de re stabi-
litum integerrimè obseruetur: addentes
præterea, vt omnes illi Parochi, qui tē-
pore Illustrissimi D. D. Ioannis Vich
quotidiè pro populo celebrare cogebā-
tur, hoc ipsum nunc præstare teneantur;
nulla nostra, vel alterius publicè vel pri-
uatim concessa facultate obstante.

*MATRIMONIVM SINE
proclamationibus, vel nostra facultate
contrahenies, Anathematis pœnam
incurrunt.*

C A P . XXVIII.

NON possumus non vehemen-
ter dolere, cum tot mala, odia
scilicet, scandalū, inobedien-
tias, inuercundias, censurarū
vilipen-

vilipendia, rixarum incentiua, & alia,
quæ ex eo quod Ecclesiastici ritus, con-
stitutiones, & decreta in matrimonio
contrahendo non obseruantur, contin-
gere videmus, & experimur. Quarè ve-
tantis incommodis remedium adhibea-
tur, mādamus nē quiquam matrimoniuū
contrahere ~~volentes~~, audeant vocare,
vel adire Parochum, vel eius Vicarium,
& in eorum præsentia de facto contra-
here antè proclamationes, & facultatē
nostram per literas obtentam. Quod si
qui Satane spiritu id attentare sint ausi,
anathematis pœnā ipso facto incurran:
quam etiam pœnam ad procurātes, cō-
sulentes, testes, & ad alios tanti sceleris
coadiutores, & fautores extendimus, à
qua non absoluuntur, quin priùs pœni-
tentia nobis benè visa tanti delicti pœ-
nas luerint.

*SPONSVS, ET SPONSA ANTE
matrimonii contractionem in eadem do-
mo non commorentur. Cap.XXIX.*

CV M matrimonii Sacramentum à
Domino sit institutum, & Serua-

DECRETA

toris nostri suffragio, & præsentia com-
probatum, æquum est, vt pia ac religio-
sa cum sanctimonia tractetur. Sed cum
quotidie in hoc Sacramento contrahen-
do tot, audacissimorum hominum im-
probitate, inducta mala videamus, ad
ea penitus eradicanda, non solum no-
stræ Synodi hac de re statutum confir-
mamus, sed etiam addimus, vt postquam
de contrahendo fides præcesserit, nullo
modo sponsus, & sponsa sub eodem te-
sto commorentur; donec præsente Pa-
rocho, & testibus illud legitimè contra-
hatur. Idque sub poena maioris excom-
municationis latæ sententiae.

QVANDO SPONSI
non eandem incolunt paro-
chiā fiant monitiones
in utraque.

CAP. XXX.

QVANDO sponsi diuersarum sunt
Paræciarum, fiant monitiones
in

in utraque Paræcia: Quibus factis de ipsis moneat Parochus viri, Parochum mulieris, ad quem pertinet matrimonii ministratio; qui nos de monitionibus in utraq; paræcia factis certiores faciet. Quod si Parochus hoc neglecto ordine matrimonium ministrauerit, decem librarum multa punietur, & aliis poenis nobis benè visis.

MATRIMONIVM IN Ecclesia celebrandum; & be- neditiones intrà duos menses recipienda.

CAP. XXXI.

OVONIAM matrimonii Sacramentum magnum est, vt ea qua decet modestia, & honestate ministretur, turpiaq; quamplurima, & inhonesta, quæ in Deum, ac tanti Sacramenti dedecus accidere solent, evitentur; hortamur, vt in Ecclesia celebretur; statimq; antè eius

DECRETA
consummationē, benedictionis sacrum
à contrahentibus audiatur. **Quod si ali-**
qui nō leui de causa benedictiones omis-
serint, iubemus, vt intra menses duos
ab ipsa contractus die, solitis Parochi
benedictionibus ritè ac soléniter initiē-
tur: hoc decretū contemnentes in excō.
municationē maiorē latæ sententiæ in-
cident. Est autē hoc à Parochis frequē-
ter inculcandum, & monendū, vt cogni-
ta Ecclesiasticarū benedictionū utilitate,
omnes ad ritè celebranda matrimonia
excitentur.

CONIVGES INTRA TRIDVVM
simul coabitens.

CAP. XXXII.

QVAM arctum, & inviolabile
sit matrimonii vinculum, pas-
sim in sacra pagina reperitur
scriptum. Paulus enim sic
mulierem viuente viro alligatam esse
maritali legi affirmat, vt præcipiente
Domino

*Paul. I.
Corin. 6.*

Domino, non paulò, à viro discedere nullo modo posse, testetur. Quæ cum ita sint, hac nostra ætate in hoc regno, ubi tam fixas, & altas catholica fides habet radices, aliquos coniuges separatos viuere, miserum, & luctuosum est. Ut ergo huic malo occurratur, præcipimus vt nullus in posterum cōiunx contracto semel matrimonio tam audax sit, vt diuino violato Sacramento à coniuge sine nostra, aut nostri Vicarii Generalis licēcia, separetur. Quod si adeo vecors, & contumax fuerit, vt intra triduū ad cōiugem non redeat, & cum eo cohabitet, excommunicationis maioris latè sententiæ pœnam infligimus.

DE CONCUBINARIIS. CAP. XXXIII.

CVM concubiniorum scelus tam latè gravetur, vt vbique ferè incontinentiæ pestis cum maximo animarum dispendio

DECRETA

vigeat; & quod grauius est; vxorati etiā
in magni Sacramenti dedecus & con-
temptum, concubinas alunt. Quod
scelus Sacra Trident. Synodus tam gra-
uiter detestatur, à nobis etiam seuerē
puniendum, ac quantum fieri potest, re-
scindendum est. Omnibus igitur utriusq;
sexus Christi fidelibus, cuiusvis gradus,
status, & conditionis sint, in tota Dioce-
cesi nostra commorantibus, tam coniu-
gatis, quam solutis, in propriis, vel alie-
nis domibus, palam, vel occultè concu-
binas retinentibus, præcipimus, vt in-
fra mensem pro tribus terminis, & ad-
monitionibus canonicis, ab omni con-
cubitus suspitione omnino se abstineat,
procul à se concubinas eiicientes. Man-
damus etiam omnibus Rectoribus, &
Vicariis (ne quis ignorantiam allegare
valeat) vt prima dominica Quadrages-
imæ, præsentem constitutionem popu-
lo vulgariter enuncient. Quod si sola
monitione resipiscere, ac decretis, &
sanctionibus nostris parere noluerint,
vna cum his, qui per octauam Paschatis
Resur-

Resurrectionis, Sanctissimæ Eucharistiae Sacramentum non susceperint, majoris excommunicationis sententiæ subjacere declarent.

VXXXV. 940

DE LENONIBVS. CAP. XXXIV.

DE TESTABILE Lenonū crimen districte iudicandum est; qui tali fungentes officio adolescentium, & juuencularum animos blandis verbis attrahunt, promissionibus decipiunt, & perdunt; viudas etiam, & coniugatas ad malum impudenter solicitant. Decernimus propterè à, ut omnes qui Lenas, vel Lenones, vel quæstuarias uxores, filias, sorores, aut alias extraneas mulieres in dominibus propriis, vel alienis prostitutes continent, vel prostituti procurant, poenè excommunicationis subjaceant.

**DECRETA
DE MODO COMITAN-
di proceſſionaliter
defunctos.**

CAP. XXXV.

CLERICI omnes, & regulares, secularibus ſpectaculum facti, ita in deferēdis fidelium defunctorum cadaueribus, compofitè, & religioſè ſe gerere debent, psallen do, orationibus, precibus, ac ſupplicatiōnibus iſiſtendo, pia, & concordi voce, ſeculares ſimul ad orandum prouocent, & excitent pro fideliibus defunctis, vt ſibi poſte à remetiatur à Domino eadem mēſura, qua alii mēſi fuerint. Idem maximopere deſideramus fieri in omnibus proceſſionibus: ne dum inter ſe colloquuntur, vel cōfabulantur, vel feneftras contemplantur, aliis ſint ſcandalo.

DE DECIMIS, CAP. XXXVI.

DOLENDVM eſt valde, non nullos auaritiae ſordibus obcæcatos, decimas,

mas, ac primitias Deo, eiusque ministris
lure Diuino debitas, defraudare, aut im-
pudenter denegare. Vnde non mirū est,
si propria in pace non possident, dum a-
liena, & quę Dei maximè sunt, rapere nō
veretur. Hortamur igitur vniuersos no-
stræ curæ cōmissos, vt Decimas, & Pri-
mitias Ecclesiis iustè debitas, spontè, &
integrè persoluāt. Confessariis omnibus
in mandatis dantes, vt per absolutionis
beneficii subtractionē, ad integrā Deci-
marum solutionem pœnitentes cogant.
Curatis quoq; præcipimus, vt primo, &
tertio die dominico Quadragesimę, vel
quando opportunius videbitur, populo
hoc publicēt. Qui verò soluere neglexe-
rint, excommunicationem ipso factō
incurrant.

VECTIGALIA IN HOC Regno imposita sunt soluenda.

CAP. XXXVII.

DOMINICVM est præceptum, vt
quæ Cæsaris, Cæsari, & quæ Rei-
publi-

DECRETA

publicæ sunt, eidem omnino reddantur.
Quod, quæ neglexerunt prouinciæ, ad
ad eam ruinam deuenere, vt suis finibus
expulsæ, atque sedibus exterminatae,
tandem oppressæ jacuerint; vt veterum
monumentis proditum legimus. Huius
præcepti contemptus sordida pellente
cupidine, ita hoc nostrum inuasit Re-
gnum, quod quidem satis abundè rebus
omnibus instructum, ac pace composi-
tum videbatur; nunc vero ad tantas de-
uenisse ruinas, annonæ caritate, rerum
omnium indigentia, sæviéte paupertate
comperimus, vt nisi Deus imminentia
auertat mala, breui sit interitum. Cum
enim adeò sint tenuia huius Regni ve-
ctigalia, & exigui eorum redditus, vt
ad eius conseruationem minimè suffi-
ciant; nec soluendo sit creditoribus (quæ
quidé omnia, & singula vectigalia equis-
sima, ac iuast, iustisque de causis impo-
sita, & conseruata omnium consensu ju-
dicamus) nihilominus non desunt scio-
li, & alii suæ salutis immemores, qui ea,
ac si iniqua essent, soluere negligunt.

Quo

Quo scelere maximum toti Regno infērunt dāmnum, atque injuriam. Quapropter, vt tam perniciosus error ē medio tollatur, (cuncta Synodo in id conspirāte) decernimus, & præcipimus omnibus Confessoribus, cuiusvis sint dignitatis, sub anathematis poena, vt neminem à delictis absoluant, quin prius vectigalia debitè persoluerint. Volumus etiam, vt Parochi ē suggestu id ipsum populo manifestum reddant.

IN QVOS VSVS INSV-
mi debeant eleemosynæ pro
Ecclesiarum fabrica
collectæ.

CAP. XXXVIII.

ELEEMOSYNAE, quæ Tem-
plorum ædificandorum nomine
corrogantur, sacris etiam vesti-
bus inferuire poterunt. Sed non
in alias res ab Ecclesia alienas conuer-
tantur.

DECRETA
tantur, neque illud vñquam inconsulto
Parocho fiat.

IN APPELLATIONE
Beneficiorum quisnam Scriba
diligendus.

CAP. XXXIX.

EXPERIENTIA docti earum
rerum, quæ ingentes difficulta-
tes in conferendis Beneficiis ex
Scribarum varietate pariunt, ad
quos obtinentes Beneficia configiunt,
quorum instrumenta difficillimè repe-
riuntur; hortamur omnes Iudices, qui-
bus a Pôtifice, etiâ Sûmo, appellationis
Beneficiorum fuerit prouincia delegata,
vt Ecclesiasticæ Curiæ Primicærium, seu
Præfectum; vel si alicuius suspicionis, nô
vana, & inani causa, is relinquêdus esset,
quemuis eiusdem Curię Scribam eligât.
Sic enim omnia, que contingere solent
incommoda præcauebimus.

IN

IN CONFRA' TERNITÀ-
tum festis Cōcionator eliga-
tur de consensu Parochi.

CAP. XXXX.

IN solemnibus Confraternitatum festis, non debet Concionator eligi Parocco inconsulto. Hortamur tamen ipsum, ut facilis propendeat, & ei suffragetur, quem societatis capita proposuerint. Attamen si quis voluerit solemnī ritu diem festū agere, vel piis operib⁹ aliquid dicare, poterit tunc Cōcionatorem, monito prius Parocco, celebritati assignare. Præterea si quæ opera pia perpetua fundentur, eodem modo Concionatōrē eligendī omnis sit penes conditorem operum potestas.

*ECCLESIAE INGRESSVS, IGNEA
tormenta deferentibus, interdicitur.*

CAP. XXXXI.

CV M Ecclesia, Diuina attestante voce, Orationis domus vocetur, *Mat.21.* ad

DECRETA

ad illam igneis tormentis , sclopisque
rotis munitis ingredi , nefas est. Quare
ut debitus cultus in ædibus Deo dicatis
habeatur; omnibus qui secum ignea tor-
menta deferunt , dum Sacrum celebra-
tur, vel Diuina officia persoluuntur, Ec-
clesiarum ingressu sub anathematis poe-
na interdicimus; Regiis solum exceptis
ministris , qui ad reos perquirendos de
nostra facultate in scriptis ingrediuntur.

DE CONCIONATORIB. CAP. XXXXII.

NON parum refert ad Diuinum
cultum augendum viua Con-
cionatorum vox, ob latenter
energiam, quam habet, omni
gladio ancipiti penetrabiliorem, pertin-
gentem usque ad diuisionem corporis,
& animæ , compagum quoque , & me-
dullarum : his enim armis omnipotens
Deus, totius orbis terrarum superbiorū,
sublimiumque colla propria virtute cal-
cauit;

cauit, & Christi iugo, imperioque per Apostolos subegit. Concionatores igitur, quibus alios instituendi, docendique potestas Euangelica tradita est, probandi primum, & explorandi sunt, ne peregrinis doctrinis imbuti, non satis perspecti recipiantur, & admittantur in Dominici gregis perniciem. Missi igitur, & admissi prius à suis Superioribus per testimoniales literas, adiūcta inde nostra, vel Vicarii nostri in scriptis facultate, verbum veritatis rectè, & bona fide ita tractent, tamquam multiformis gratiæ dispensatores, ut à puritate Euangelii non recedant, aliena, & superuacanea supprimant, opinabilia, ac dubia pro certis, & receptis non prædicent, nec etiam noua miracula ab Apocriphis abstineat, quæ parum ædificant, & risum potius, quam lachrymas excitant; popularem auram non quærant, se mutuò, ubi plures prædicare contigerit; non carpanit, sed sincerè, & pacificè verbum pacis annuncient. Potissimum vniuerscuiusque, & præsertim rudis plebis captui se accommodent,

DECRETA

modent, ut fiant omnibus omnia, nec
nimis persuasibilibus humanæ sapientie
verbis attendant: Sed pura Sancti Euan-
gelii explicatione contenti, castis sacra-
rum Scripturatum eloquiis, sanisq; San-
ctorum, & catholicorum Doctorum ex-
positionibus ab Ecclesia approbatis in-
hæreant. Hortamur autem in Domino,
& obsecramus, eorum conscientias, in
diem Christi aggrauantes, ut in vitium
peierandi, quod iāt opere in hoc Regno
grassatur, excandescant, & eliminate o-
mnino procurent.

DECRETVM DE EXA- minatoribus Synodalibus, ele- ctis ad examē eorū, qui se vaca- tionibus Ecclesiarum opposuerint.

DECRETO SACRI
Concilii Tridentini ob-
temperantes, examini
illorum,

illorum, qui vacantibus Ecclesiis Parochialibus se opposuerint; hos duodecim Doctores deputamus, quorum nomina sunt hæc.

Antonius Gual, Doctor Theologus, Archidiaconus, & Canonicus.

Guilhelmus Custurer, Doctor Theologus, & Praecensor.

Raphael Alberti, Canonicus, Doctor Theologus.

Antonius Gil, Canonicus, Doctor Theologus.

Petrus Ensenyal, Canonicus, Doctor Theologus.

Hieronymus Callar, Canonicus, Doctor Theologus, & Cancellarius Regius.

Bartholomeus Lull, Canonicus, Doctor Theologus.

Natalis Sentendreu, Canonicus, Doctor Theologus.

Petrus Socies Doctor Theologus.

DECRETA

Fr. Petrus Febrer Præsentatus Monasterii Prædicatorum.

Prior Ordinis Prædicatorum, qui pro tempore fuerit.

Custos Sancti Francisci, qui pro tempore fuerit.

¶ Causis Ecclesiasticis, & spiritualibus in partibus, iuxta S.T. C. dispositionem, Iudices in hac nostra Diœcesi (Synodo aprobante) infra scripta designantur.

Ioannes Baptista Forteza Decanus, & Canonicus.

Hieronymus Forteza Thesaurarius, & Canonicus.

Petrus Onufrius de Veri Canonicus, Iuris V. D.

Bernardus Ludouicus Cotoner Canonicus, I. V. D.

¶ Et

queri; vetustum, & solemnem hunc modum sequentes.

*Hæretici cuiuscumque sectæ, eorumdem
fautores; libros legentes, tenentes,
aut imprimentes, &
schismatici.*

I ¶ Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Vuiclephitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & a Christiana Fide Apostatas: ac omnes, & singulos alios Hæreticos (quocumque nomine censeantur, & cuiuscumq; sectæ existant) ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter, quœlibet illorum defensores, ac eorūdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Nostra, & Sedis Apostolicæ, scienter legentes, aut

reti-

BULLA IN

retinentes, imprimentes, seu quomodo-
libet defendantes, ex quauis causa, pu-
blicè, vel occuliè, quouis ingenio, vel
colore: necnon Schismaticos, & eos qui
se à Nostra, & Romani Pontificis pro
tempore existentis obedientia pertina-
citer subtrahunt, vel recedunt.

*Appellantes à Pontifice ad futurum
Concilium, eorumque
fauatores.*

2. ¶ Item excommunicamus, & anathe-
matizamus omnes, & singulos, cuius-
cumque status, gradus, seu conditionis
fuerint: Vniuersitates verò, Collegia, &
Capitula quocumq; nomine nuncupen-
tur, interdicimus; ab ordinationibus,
seu mandatis Nostris, ac Romano-
rum Pontificum pro tempore existen-
tium ad vniuersale futurum Concilium
appellantes, necnon eos, quorum
auxilio, vel fauore appellatum fue-
rit.

Pira-

Pirate, alq; eorū receptatores, & fautores

3. ¶ Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipue à Monte Argentario, usque ad Tetracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

*Naufragorum Christianorū cuiuscumq;
generis bona, etiam in littoribus inuen-
ta surripientes.*

4. ¶ Item excōmunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus tempestate, seu in transuersum (vt dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta, in mari, vel in littore inuēta, cuiuscumq; generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quā in ceteris cuiusq; maris Regionibus, littoribus surripuerint, ita vt nec ob quodcumque priui-

BULLA IN
priuilegium, consuetudinem, aut longis
simi etiam immemorabilis temporis pos-
sessionem, seu alium quemcumque præ-
textum excusari possint.

*Imponentes noua pedagia, & gabellas,
vel eas augentes.*

5. ¶ Item excommunicamus, & anathe-
matizamus omnes, qui in terris suis no-
ua pedagia, seu gabellas, præterquam in
casibus sibi à lute, seu ex speciali Sedis
Apostolice licentia permisis, imponunt,
vel augment, seu imponi, vel augeri pro-
hibita exigunt.

*Falsificantes literas Apostolicas, aut sup-
plicationes, à quocumque auctoritate
habente signatas, falso fabricantes
literas Apostolicas.*

6. ¶ Item excommunicamus, & anathe-
matizamus omnes falsarios literarum
Apostolicarum, etiam in forma Brevis,
ac Supplicationum gratiam, vel iustitiā

CON-

concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis signatarum, nec non falso fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falso signates Supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentiū vices praeditorum.

DEFERENTES ARMA, ET
alia usui bellico idonea ad Turcas, vel
alios Christiani nominis inimicos: &
ad Rep. Christianae statum
pertinentia, iisdem in dam.
num Christianorum
nunciantes.

7. ¶ Item excōmunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos, per nostras, siue huius Sancte Sedis sententias expresse vel nominatim declara-

tos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant; necnon illos, qui per se, vel alios de rebus, statum Christianæ Republicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon haereticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, quibusuis personis, Principibus, Rebus publicis, oper nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de huiusmodi mentionem non facientibus.

*Impedientes eos, qui virtualia, & alia
necessaria Romanam conuebunt.*

8. ¶ Item excommunicamus, & ana-
thematizamus omnes impedientes, seu
inuadentes eos, qui virtualia, seu alia,
ad vsum Romanæ Curie necessaria ad-
ducunt: ac etiam eos, qui ne ad Roma-
nam Curiam adducantur, vel afferantur,
prohibent, impediunt, seu perturbant,
seu hæc facientes defendunt, per se, vel
alios, cuiuscunque fuerint ordinis pre-
mihentiae, conditionis, & status, etiam
si Pontificali, seu Regali, aut alia qua-
uis Ecclesiastica, vel mundana præful-
geant dignitate.

*Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab
ea recedentes sua, aut aliorum opera
lædentes, & sine iurisdictione
vexantes in Curia com-
morantes.*

9. ¶ Item excommunicamus, & ana-
thematizamus omnes illos, qui ad Se-
dē Apostolicā venientes, & recedentes

BVLLA IN

ab eadem sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnō illos omnes qui iurisdictio- nem ordinatiam, vel delegatam, à nobis vel Nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia, cōtra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

Romipetas, ac peregrinos, etiam in Urbe morantes, vel abeuntes, lædentes.

io. ¶ Item excōmunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depredantes Romipetas, seu Peregrinos, ad Urbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & his dantes auxilium, cōsilium, vel fauorem.

Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.

ii. ¶ Item excōmunicamus, & anathe-

mati-

matizamus omnes interficientes, mutillantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostili-
ter insequentes. S. R. E. Cardinales, Pa-
triarchas, Archiepiscopos, Episcopos,
Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nun-
cios, aut eos à suis Dioecesibus, Terri-
toriis, Terris, seu Dominiis ejicientes:
Necnon ea mandantes, vel rata haben-
tes, seu præstantes in eis auxilium, con-
silio, vel fauorem.

*Ad Romanam Curiam pro negotiis suis
recurrentes, per se, vel per alias ledentes.*

12. ¶ Item excōmunicamus, & anathe-
matizamus omnes illos qui per se, vel
per alios, personas Ecclesiasticas quas-
cumque, vel seculares ad Romanam Cu-
riam super eorum causis, & negotiis re-
currentes, ac illa in eadem Curia profe-
quentes, aut procurantes, negotiorumq;
gestores, aduocatos, procuratores, & a-
gētes, seu etiā Auditores, vel Iudices su-
per dictis causis, vel negotiis deputato's.

BULLA IN

occasione causarum, vel negotiorum
huiusmodi, occidunt, seu quoquomodo
percutiunt, bonis spoliant, seu qui per
se, vel per alios directe, vel indirecte,
delicta huiusmodi committere, exequi,
vel procurare, aut in eisdem auxilium,
consilium, vel fauorē præstare non ve-
rentur, cuiuscumque præminentia, &
dignitatis fuerint.

*Appellantes à grauamine, vel futura
executione Literarum Apostolicarum
ad laicam potestatem.*

13. ¶ Item excommunicamus, & ana-
thematizamus omnes, tam Ecclesiasti-
cos, quam seculares cuiuscumque digni-
tatis, qui prætexentes friuolam quandā
appellationem à grauamine, vel futura
executione Liter. Apost. etiam in for-
ma Brevis, tam gratiam, quam iustitiam
concernentium: Necnon Citationum,
Inhibitionū, Sequestrorū, Monitoriorū,
Processuum, Executorialiū, & aliorum

Decretorum, à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Palatii nostri, & Cam. Apost. Auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint; aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrent, & ab ea, in flante etiam Fisci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt; qui vè illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super huiusmodi literarum, & proceſuum execuſione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti cuius intereſt, trade-re debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, cōſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores literarum, citationum, monitoriorū, & alio-rum prædictorum capiunt, percutiunt,

BVLLA IN 300

vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perretrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè, qui vè alias quibuscumque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negociis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Rom. Cur accedant, aut recorsum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

Executionem Literarum Apost. aut aliarum è expeditionem impedientes, & prohibentes ad gratias impenrandas accedentes.

¶ Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ad

de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarū Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexeas, ab Auditoribus, & Cōmissariis nostris, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarū uè cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se, de illarum cognitione, tanquam iudices interponunt; Qui uè partes actrices, quæ illas committū fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarūt, à censuris, & poenis in illis contentis absolui, per Statutum, vel alias, compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, Processuum, ac Decretorum prædictorum, quomodo libet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut affensum præstant, etiam pre-

BULLA IN

textu violentię prohibendæ, vel aliarum
prætensionum, seu etiam donec ipsi ad
Nos informandos, vt dicunt, supplica-
uerint, aut supplicari fecerint, nisi sup-
plicationes huiusmodi coram Nobis, &
Sede Apostolica legitimè prosequan-
tur, etiam si talia commitentes fuerint
Præsidentes Cancellariarum, Consilio-
rum, Parliamentorum, Cancellarii, Vice-
cancellarii, Consiliarii ordinarii, vel ex-
traordinarii quorumcumque Principum
secularium, etiam si Imperiali, Regali,
Ducali, vel alia quacumque præfulgeat
dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi,
Abbes, Commendatarii, seu Vicarii
fuerint.

*Judices seculares, qui Ecclesiasticas per-
sonas trahunt ad sua Tribunalia,
qui que Ecclesiasticam liberta-
rem tollunt, aut in aliquo
perturbant.*

15. ¶ **Quiusc ex eorum pretenso officia**

vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellarium, Concilium, vel Parliamentum, praeter Iuris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directe, vel indirecte, quovis quæsito colore: necnon, qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quæuis alia Decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodo libet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu Nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum iuribus quomodo libet, directe vel indirecte, tacite, vel expresse prædicione, iudicant.

Impe-

BVLLA IN

Impediētes Prælatos ne sua iurisdictione
vtantur, qui que illorum, & delegatorum
iudicia eludentes, ad Curias seculares
recurrūt, aut contra illos decer-
nunt, præstantesque
auxilium.

16. ¶ Necnon qui Archiepiscopos, a-
liosq; superiores, & inferiores Prælatos,
& omnes alios quoscumque Iudices Ec-
clesiasticos Ordinarios, quomodolibet
hac de causa directè, vel indirectè, car-
cerando, vel molestando, eorum agen-
tes, procuratores, familiares, necnon
consanguineos, & affines impediunt,
quo minus sua iurisdictione Ecclesiasti-
ca contra quoscumque utantur, secun-
dum quod Canones, & sacræ Constitu-
tiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conci-
liorum generalium, & præsertim Tridé-
tini, statuunt; ac etiam eos, qui post ip-
sorum Ordinariorum, vel etiam ab eis
delegatorum quorumcumque, Senten-
tias, & decreta, aut alias, Fori Ecclesia-
stici iudicium eludentes, ad Cancella-
rias,

gias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibiciones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Vsurpantes Sedis Apostolice, & quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel etiam fructus sequentes.

17. ¶ Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad Nos, & Se- dem Apostolicam, & quascumque Ec- clesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum be- neficiorum Ecclesiasticorum pertinen- tes usurpant, vel etiam quauis occa- sione, vel causa, sine Romani Pontifi- cis, vel aliorum ad id legitimam facul- tam habentium expressa licentia se- questrant.

Impo

BVLLA IN
Imponentes decimas, & alia onera, per-
sonis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monaste-
riis, aut eorum fructibus.

18 ¶ Quiue collectas, decimas, talleas,
præstantias, & alia onera, Clericis, Præ-
latis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac
eorū, & Ecclesiarū Monast. & aliorum
beneficiorum Ecclesiasticorum bonis,
illorūque fructibus, redditibus, & pro-
uentibus huiusmodi, absque simili Ro-
mani Pont. speciali, & expressa licentia,
imponunt, & diuersis etiam exquisitis
modis exigunt, aut sic imposta, etiā à
sponte dantibus, & concedentibus, reci-
piunt. Necnon, qui perse, vel alios, di-
rectè, vel indirectè prædicta facere, exe-
qui, vel procurare, aut in eisdem auxiliū,
consilium, vel fauorem præstare non ve-
rentur, cuiuscumque sint præminentie,
dignitatis, ordinis, conditionis, aut sta-
tus, etiam si Imperiali, aut Regali præ-
fulgeant dignitate, seu Principes, Du-
ces, Comites, Barones, & alii Potenta-
tus quicunque, etiam Regnis, Prouinciis,

Ciui-

Ciuitatibus, & Terris quoquomodo
Præsidentes, Consiliarii, & Senatores,
aut quauis etiam Pontificali dignitate
insigniti. Innouantes decreta super his
per sacros Canones, tam in Lateranen-
si nouissimè celebrato, quam aliis Con-
ciliis generalibus edita, & cum censuris,
& poenis in eis contentis.

*Iudices seculares, qui se interponunt in
causis capitalibus, seu criminalibus con-
tra Ecclesiasticas personas.*

19. ¶ Item excommunicamus, & ana-
thematizamus omnes, & quoscumque
Magistratus, & Iudices, Notarios, Scri-
bas, Executores, Subexecutores quo-
modolibet se interponentes in causis ca-
pitalibus, seu criminalibus, contra per-
sonas Ecclesiasticas, illas processando,
banniendo, capiendo, seu sententias
contra illas proferendo, vel exequen-
do, sine speciali, specifica, & expressa
huius Sancte Sedis Apostolice licentia.
Quique ciułmodi licentiā, ad personas,

& casus

BULLA IN

& casus non expressos extendunt: vel
aliás illa perperam abutuntur: etiam si
talia committentes fuerint Consiliarii,
Senatores, Præsidentes, Cancellarii,
Vicecancellarii, aut quoquis alio nomi-
ne nuncupati.

*Occupantes bona, aut terras Ecclesie Ro-
mane, & illius iurisdictionem
usurpantes.*

20. qd Item excommunicamus, & ana-
thematizamus omnes illos, qui per se,
seu alios directe, vel indirecte sub qua-
cumque titulo, vel colore inuaderet, de-
struere, occupare, & detinere prælum-
ferint, in totum, vel in partem, Almam
Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardi-
niæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum,
Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Di-
carum Spoletañ. Comitatum Venaysi-
num, Sabineñ. Marchiæ Anconitanæ,
Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Cam-
paniæ, & maritimas Provincias, illarū-
que Terras, & loca, ac Terras specialis
com-

commissionis Alnulforum, Ciuitatesq;
nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminū,
Beneuentum, Perusium, Auinionem,
Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariā,
Comaclum, & alias Ciuitates, Terras,
& loca, vel iura ad ipsam Romanā Ec-
clesiam pertinentia, dictæque Romanæ
Ecclesiæ mediatè, vel immediate sub-
iecta: nec non supremam iurisdictionem
in illis, Nobis, & eidem Romanæ Ec-
clesiæ competentem, de facto usurpare,
perturbare, retinere, & vexare variis
modis præsumunt; nec non adhærentes,
fautores, & defensores eorum, seu illis
auxilium, consilium, vel fauorem quo-
modolibet præstantes.

Absolutio soli Pontifici reseruatur.

Volentes, præsentes nostros Processus,
ac omnia, & quæcumque his Literis cō-
tenta, quo usque alii huiusmodi Proces-
sus, à Nobis, aut Romano Pontifice pro
tempore existente fiant, aut publicetur,
durare suosque effectus omnino sortiri.

BVLLA IN

*Absoluere præsumentes, excommuni-
canticur.*

Cæterum, à predictis Sententiis nullus per alium, quā per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautio- ne præstata, absoluī possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & Indul- rum quibuscūque personis Ecclesiasti- cis, secularibus, & quorumuis Ordinū, etiam Mendicantium, ac Militiarum re- gularibus, etiā Episcopali, vel alia ma- iori Dignitate præditis, ipsisque Ordini- bus, & eorum Monasteriis, Conventi- bus, & Domibus, ac Capitulis, Colle- giis, Confraternitatibus, Congregatio- nibus, Hospitalibus, & locis piis, necno laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana Excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Cō- cilii Decreta, verbo, literis, aut alia qua- cumque scripture, in genere, & in spe- cie concessorum, & innovatorum, ac cō- cedendorum, & innouandorum.

Quod

Quod si forte aliqui contra tenorē præsentium, talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumferint; eos excommunicationis Sétentia innodamus: grauius cōtra eos, spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Pape absolutio non comprehendit eos, qui à præmissis non destiterint.

Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excōmunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis cū vero proposito vltierius similia non committendi, destiterint. Ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præmittitur, Statuta fecerint: nisi prius Statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publice reuocauerint, & ex Archiuīis, seu Capitulibus locis, aut libris, in quibus annota-

BVLLA IN

ta reperiuntur, deleri & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint; eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari. Quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singularis, ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicæ, ac S.R.E. vndeunque, & quandocumque quesitis, vel querendis, nullatenus preiudicari posse, aut debere.

Non obstantibus priuilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cuiuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præminentia fuerint, etiamsi ut præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate; vel eorum Regnis, Provinciis, Ciuitatibus, seu locis à predicta Sede, ex quavis causa, etiam per

per viam contractus, aut remuneratio-
nis, & sub quavis alia forma, & tenore,
accum quibusvis clausulis, etiam dero-
gatoriarum derogatoriis concessis, etiā
continentibus ut excommunicari, ana-
thematizari, vel interdici non possint
per literas Apostolicas, non facientes
plenam, & expressam, ac de verbo ad
verbum de indulto huiusmodi, ac de or-
dinibus, locis, nominibus propriis, co-
gnominibus, & dignitatibus eorum, men-
tionem; necnon consuetudinibus etiam
immemorabilibus, ac præscriptionibus
quantumcumque longissimis, & aliis
quibuslibet obseruantibus, scriptis, vel
non scriptis, per quæ contra hos nostros
Processus, ac Sententias quo minus in-
cludantur in eis, se iuuare valeant, vel
tueri.

Quæ omnia quo ad hoc, & eorum
omnium tenores, ac si ad verbum, nihi-
lo penitus omisso, insererentur, præsen-
tibus pro expressis habentes, penitus
tollimus, & omnino revocamus, cæte-
ræque contrariis quibusciusque.

BULLA IN

Vt verò præsentes nostri Processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas, Processus ipsos continent, valuis Ecclesiæ S. Io. Lateran. & Basilicæ Principis Aposto. de Vrbe appédi faciemus, vt ii, quos Processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos nō peruerent, aut quod ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantia allegare: cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tām patēter omnibus publicatur. Insuper, vt processus ipsi, & Præsentes Literæ, ac omnia, & singula in eis contenta, eò fiant notiora, quod in plerisque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata; vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis vilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipiendo mandamus, vt per se, vel aliū, seu alios, præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam,

titiam, semel in anno, aut si expedite vi-
derint, etiam pluries, in Ecclesiis suis,
dum in eis maior populi multitudo ad
Divina conuenerit, solemniter publicet,
& ad Christi fidelium mentes reducat,
nuncient, & declarent.

*Quicumque audiunt confessiones; apud
se has Literas habeant.*

Cæterum, Patriarchæ, Archiepiscopi,
Episcopi, aliique locorum Ordinarii, &
Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores,
cæterique curam animarum exercetes,
ac presbyteri seculares, & quorumuis
Ordinum regulares, ad audiendas pec-
catorum confessiones, quavis auctorita-
te deputati, transsumtum præsentium Li-
terarum penes se habeant, easque dili-
genter legere, & percipere studeat. Vo-
lentes, earumdem præsentium transum-
tis, etiam impressis, Notarii publici ma-
nu subscriptis, & sigillo Iudicis ordina-
rii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ

BULLA VN

in Dignitate Ecclesiastica cōstitutæ mun
nitis, eamdem prorsus fidem in Iudicio,
& extra illud vbiique locorum adhiben
dam fore, quæ ipsis præsentibus adhibe
retur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.
Nulli ergo omnino hominū liceat hanc
paginam nostræ excommunicationis,
anathematizationis, interdicti, innoua
tionis, innodationis, declarationis, pro
testationis, sublationis, reuocationis,
commissionis, mandati, & voluntatis,
infringere, velei ausu temerario con
traire. Si quis autem hoc attentare pre
sumferit, indignationem Omnipoten
tis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli
Apostolorum eius, se nouerit incursu
rum. Dat. Romę. apud Sanctum Petrū,
Anno Incarnationis Dominicæ Mille
simō sexentesimo octauo. Tertio Non.
Aprilis, Pontificatus Nostri Anno ter
tio.

L. PRO. DAT.

Scipio Cobellutius. *S.de Vrfinis.*
Registrata apud Scipionem Secretariū.

ANNO

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi M. DC. VIII.
 Indictione 6. die vero 3. Mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Pauli Diuina prouidencia Papæ V. Anno eius tertio, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Basilicæ Lateraneñ. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, dimissis, ibidemque appensis earumdemmet literarum originalibus per aliquod temporis spatium, per nos Paulum Bartocchium Narnieñ. & Christophorum Fundatum de Cæsis, Apost. Curs. Baltasar Vaca Mag. Curs. loco plūbi.

BVLLA IN
VIBVS quidem lite-
ris diligenter inspectis,
illas ad requisitionem
& instantiam Mag. D. Prosperi
Farinacii, Sanctissimi Domini
Nostrri Papæ, & Cameræ Apo-
stolicæ Procurator Fiscalis, per
nostrum, & dictæ Curiæ Nota-
rium publicum infrascriptum
transumi, & exemplari, ac in
hanc publicam transumti for-
mam redigi mandauimus: de-
cernentes, & volentes, vt huic
præsenti transumto, iuxta ea-
rumdem literarum, & decreti
in eis appositi formam, conti-
nentiam, & tenorem, de cæte-
ro, plena, & indubitata fides ad-
hibeatur vbiique locorum, ac si
ipsæ

ipsæ literæ originales exhibitę, vel ostensæ forent. Quibus omnibus, & singulis auctoritatem nostram ordinariam, ac decre-
tum interposuimus, & interpo-
nimus per præsentes. In quorū
fidei præsentes literas, atque
præsens publicum Instrumentum
transumti exinde fieri, &
per dictum nostrum, & Curiæ
nostræ Notarium infrascriptum
subscribi, & publicari mandaui-
mus, nostrique soliti sigilli im-
pressione muniri iussimus, & fe-
cimus. Dat. Romæ, in ædibus
nostris, Anno à Natiuitate Do-
mini Nostri Iesu Christi 1611.
Indictione 6. die verò 3. mensis
Aprilis. Pontificatus autē San-
ctissimi

BULLA IN
Etissimi Domini Nostri Pauli
Diuina Prouidentia Papæ V.
Anno eius in tertio. Præsentia-
bus ibidem DD. Iulio Pennaz-
zolo Priuernate, & Iulio Oli-
uello Spoletan. dicæc. dictæ Cu-
riæ nostræ Not. testibus ad pre-
missa omnia, & singula vocatis,
habitatis, atque rogatis.

Otauius Cellius Curf. Cauf.

C.A. Not. & Menf.

P. Auditor.

Palmæ Balearium, ex Typogra-
phia Emmanuelis Rodriguez,
& Ioannis Piza. 1620.

13.

